

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis  
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,  
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -  
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1678**

§. 5. De Ritu Carthusianorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9929**

sta quæ non sunt 12. lectionum sola commemoratione in primis Vesperis, & Laudibus celebramus. Festa ipsa 12. lectionum in tres classes dividimus: solemniora dicuntur sermonis, quod Abbas ea die sermonem ad Monachos habeat. Alia sunt duarum Missarum, quod duæ Missæ Conventuales de illis cantentur, una post Primam, altera post Tertiam. Alia unius Missæ, quod unica de illis Missa canatur. Antiphonas nunquam duplicamus, sed tantum post Psalmos integras cantamus. Ad Laudes unam dumtaxat dicimus Antiphonam, ad cuius tenorem omnes Psalmos modulamur. Omnes horas commemoratione Beatæ Virginis, & Dominicæ Incarnationis concludimus. Quotidie tandem post Completorium Antiphonam *Salve Regina* solemniter decantamus.

## §. V.

## De ritu Carthusianorum.

I. **S**acra sancta Religio Carthusiana, licet in cæteris Benedicti Regulam non agnoscat, ritum tamen Benedictinum in divinis Officiis observat. Paucis exceptis vix discrepant à Cisterciensibus, quibus ferè coevi sunt. Cœpit enim Cistercium anno Domini 1098. Carthusia vero initium habuit anno 1086. ut putavit Baronius, vel 1084. ut ex monumentis Ordinis collegit in suo Brunone Theophilus Raynaudus. Ante Vigilias dicunt ter *Pater*, & *Ave*. Post ultimam Antiphonam Nocturni recitant semel *Pater*, & *Ave*, & Absolutionem. Post *Benedictus* dicunt novem vicibus *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison* cum multis precibus. Privatis diebus ad preces adjungunt Psalmum *Miserere*: quas preces repetunt singulis horis. In fine lectionum ex Prophetis addunt, *Hæc dicit Dominus, Convertimini ad me, & salvii eritis*. Ad Vesperas Psalmos

DIVINÆ PSALMODIÆ CAP. XVIII. 623

mutant pro diversitate festivitatum. Ad Primam dicunt quotidie Symbolum Athanasi. Ad salutationem Angelicam pulsant quater in die, post Matutinum, post Primam, post Nonam, post Completorium. Post Collectam dicto *Benedicamus Domino* nihil aliud adjungere consueverunt. In reliquis, ut dixi, ferè conveniunt cum Cisterciensibus. Commendat eorum cantum Christus Salvator noster apud S. Brigittam c. 4. revelationum extravagantium: & Angelicam eorumdem Psalmodiam elegantissimè collandat Francisc. Petrarcha in praefatione lib. de otio Religiosorum. Sunt autem revera Carthusiani magna orbis miracula, in carne extra carnem viventes, Angelos nobis in terra, & Joannem Baptistam in Eremo repræsentantes. Sunt præcipuum Ecclesiæ ornamentum similes aquilæ in cœlum volanti, quorum status universarum religionum institutis jure præfertur. Pius quidam, & religiosus Poëta apud Maximilianum (a) Sandæum in sua mystica Theologia Carthusianorum vitam, & mores hoc eleganti Epigrammate mirabiliter expressit.

*Pallentem nuper rigidi Brunonis alumnum*

*Sic adiit mundum linquere certus Odo.*

*Ede Pater, quæ Cartusia sit regula vitæ.*

*Quæ nox, quæve dies, quid fugiant, quid agant.*

*Ede quibus studiis hic vivitur. Ille tacendo*

*Fugit, & ingemuit. Non potuit melius.*

Historiam illam notissimam Theologi Parisiensis, qui post mortem tribus distinctis vicibus justè se accusatum, judicatum, & damnatum pronunciavit; atque hujus Ordinis institutioni occasionem dedit, copiosissimè defendit Raynaudus supra citatus in suo Brunone, ubi plura de laudibus Carthusianorum Lector inveniet,

a Sand. lib. 2. comment. 3. exercit. 2. disquisit. 6. Bernard. Bauhusis Epigram. l. 5.